Quelle: https://manuscripta.at/?ID=933
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

secundo. multaque editione ovium et boum. quod tunc erat res in pecore. et in locorum possessionibus. ex quo pecu-
niosi et locupletes vocabantur. Liberalis dictus ab eo quod libenter donet nec murmuret.
Largus. longus a linea dictus, propter quod sit porrectus. Longevus quasi longi evi et longi temporis.
Longanimis sive magnanimis eo quod nullis passionibus perturbatur. sed ad universa sustinenda pa-
tiens est. Cui contrarius est pusillanimis. angustus. et in nulla tribulatione subsistens. de quo scribitur.
pusillanimis vehementer insipiens. Levis ob inconstantiam vagationis appellatus. quia levi motu men-
tis. nec ista nec illa desiderat. Lubricus ab eo quod elabitur labens in vitium velox. ut labi enim para bolo.
et labere pennis. cursu enim lapsos celeriores est. Latro insessor viarum. a latendo dictus. melius
autem latro est hic quia latero ob latere insidiatur vie. Lanista gladiator. id est carnifex. tusca lingua
appellatus. a laniendo scilicet corpora. Lacessitor per translationem dictus a canibus vel a feris qui solent
lacerando provocare. Lenon est eliciator stupri eo quod mentes miserorum blandiatur et deliniendo se-
ducat. Libidinosus ab eo quod facit quod libet. Libidinosus alibi usque puellarum. Luxuriosus quasi
solutus in voluptates. Unde et membra loco mota luxa dicimus. Lascivus quod sit luxus. id est solutus et vanus.
Lymphaticus quod aquam timeat. quem Greci ydrofoban dicunt. Lymphaticus proprie dicitur qui vitium ex aqua contrahit.
cuius vitium est huc atque illuc cursus aut fluore aque sub ipso vitio. Sed poete hoc iam genus nominis pro
furiosis usurpant. Languidus. luridus quod sit pallidus a loro dictus. quod huiusmodi habeat cutem. Leprosus
a pruritu nimio ipsius scabie dictus. unde et per p. scribi debet. Luscus quod lucem ex parte sci-
at. Sic et lusciliosus qui vespere nichil videt. Luscos quasi coclites dixerunt antiqui. Unde et Ciclopas cocli-
tes legimus dictos quod unum oculum habuisse perhibentur. Lotus. lautus. id est mundus. Lupa meretrix
a rapacitate vocata. quod ad se rapiat miseros et apprehendat.

Misericors a compatiendo aliene miserie vocabulum est sortitus. et hinc appellata misericordiam quod miserum
cor faciat. dolentis aliena miseria. Non autem occurrit ubique hec ethimologia. nam est in Deo misericordia si-
ne ulla cordis miseria. Mactus magis auctus. Gloria est nomen tractum a sacris. Quotiens enim thus
aut vinum super victimam fundebatur. dicebant. mactus est taurus vino vel thure. hoc est cumula-
ta est hostia et magis aucta. Munificus dictus vel qui alicui multa munera dat. vel qui munus suum
id est officium quod debet adimplet. sic et munifex qui a munera fert. Magnanimus ab eo quod sit
magni animi et magne virtutis. cui contrarius est pusillanimis. Magnificus a magna facien-
do vocabulum traxit. Mansuetus mitis vel domitus quasi manus adsuetus. Modestus dictus